

9950

No: 1117.

1789, 19.

2

PROCANCELLARIUS
IOS. LVD. ERN. PTTMANNVS

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBURGENSIS CANONICVS
PANDECT. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR
ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA
PRAECLARISSIMI CANDIDATI
CAROLI FRIDERICI CVRTII

LIPSIENSIS

A. D. XXIV. DECEMBERIS MDCCCLXXXIX

PUBLICE CELEBRANDA

INDICIT



CHARLES CARBON

1800

1800

1800

1800

1800

1800

1800

1800

1800

1800

1800

1800

1800



MISCELLANEORVM
AD IV S PERTINENTIVM
SPECIMEN X.

CAPVT XXI.

*Memorabilis refertur species ex cap. I. X. de his, quae vi metusque
causa fiunt.*

Referam hoc capite speciem ex Decretalibus admodum memorabilem, fabulae romanensi haud absimilem, Sec. XII. in Hispania magnis animorum motibus agitataam, variosque per casus ad ALEXANDRVM III. P. M. delatam, et ab hoc Epistola quadam decretali, hodie adhuc reliqua, sapientissime decisi. Nec profecto id mirum, cum ALEXANDER III. a iuri ciuilis peritia prae caeteris commendetur, ipseque ante Pontificatum Bononiae ius publice fuerit professus; qui a ROBERTO DE MONTE in *App. ad Sig. Gemblac. Chron. ap. Pistorium Tom. I. Script. rer. german. pag. 930.* vocatur in diuina pagina praceptor maximus, et in decretis et canonibus, et romanis legibus praecipuus, vtpote qui multas quaestiones difficiles et graues in decretis et legibus absolverit atque enuclearit. Errant profecto, magnopere



pere errant, qui nihil bonae frugis in decretalibus inueniri opinantur; quos dudum rectam in viam reducere potuisset a. c. WOLFII *Commentat. Quantum interst̄ reij. iuris canonici studium?* Exstat etiam IAC. VOORDA pro *Decretalibus P. R. epistolis oratio*, eiusdem *Interpr. et Emend. iur. rom.* (*Tr. ad Rh. 1768.*) adiecta. Enimvero recte monuit Cel. CHRISTOPH. SAXIVS in *Onomast. litterar. P. II. p. 115.* Or. illam longe alio spectare, eiusque auctorem legum pontificiarum utilitatem et rationem, suis accommodatam temporibus, ironia quadam Socratica demonstrare voluisse. Quidquid autem huius rei sit, negari profecto haud potest, multa inter *Decretales*, GREGORII IX. iussu collectas, sapientissima reperiiri rescripta, quae quidem rescriptis Impp. in Cod. repet. praelect. relatis nullatenus inferiora esse videntur. Certe exemplum, de quo in praesenti dicere constitui, ita comparatum est, ut cum aequitate, tum sapientia sele, quam quod maxime, commendet. Sed fatis praeſaminis.

In Hispania Sec. XII. viuebat vir nobilis et potens, addunt etiam *prudens*, quam vere, penes lectores ipsos iudicium esto. Vxorem is iuuenilis habebat aetatis, quacum non modo ab initio admodum viuebat concorditer, sed in cuius etiam amore sibi vnice placebat, quaque ipsi mox filiolum, patris imaginem, peperit. Verum enim vero quod plerumque fieri solet, non diurna fuit illa coniugum concordia, sed, quasi daemon aliquis inuidiosus matrimoniorum ferre haud posset felicitatem, magna subito rerum commutatio facta est. Ecce enim! cepit ADORELIAM (hoc scilicet ei nomen erat) siue vxor eius causam suspicio- nis praebuerat, siue non praebuerat, cepit, inquam, illum (plura fortasse, quam videbat, extimescentem) infelix infania, quam vulgo zelotypiam vocant, quae quidem prudentiae in eo laudatae haud optimum praebet argumentum. Multis enim, quid dico multis? innumerabilibus constitit exemplis, quo quis imbecillior sit, quoque minorem sui ipsius habeat fiduciam, eo illum proniorem esse ad malas de coniuge suo concipiendas suspiciones. Et, ni fallor, haec ipsa causa est, quare multae feminae non modo zelotypiae magis deditae sint, sed multo etiam saeuius hoc morbo agitentur, quam viri. Verissime SENECA in *Medea* v. 579.

Nulla



*Nulla vis flammae tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta, cum coniux viduata taedis
Ardet et odit.*

Sed, vt ad **ADORELIA** redeamus, nesciebat bonus ille vir, maritum, fidelem qui putauerit vxorem suam, fidelem facere, suspicionea contra prudentem anfam saepe praebere peccandi, cornuumque, quibus superbit, ipsum auctorem esse. Longissima quippe docuit experientia, vitia irritari vetando, minusque haud raro peccare, cui peccare integrum sit. Apposite **OVIDIUS** *Amor.* III. 4. 17.

*Nitimus in vetitum semper, cupimusque negata.
Sic interditis imminet aeger aquis.
Quidquid seruatur, cupimus magis, ipsaque furem
Cura viciat; pauci, quod finit alter, amant.*

Vile videtur, inquit **SENECA** Ep. 68. quidquid patet: aperta effractarius praeterit. Sed sata ita ferebant, vt **ADORELIA**, hoc nesciens, vnice indulgeret suspicioneis suis, et quantopere vxorem suam ante amauerat, tantum mox odium contra illam conciperet, tandemque (incredibile memoratu!) eam clam e medio tollere apud animum constitueret. Eheu, quanta saeuitia, quanta crudelitas! Excusatus irae induxit **ADORELIA**, si vxorem reapse ēt āvōqāqā deprehendisset. Si maritus, inquit **VLPIANVS** in l. 3. §. 3. D. de Sido Silan. in adulterio deprehensam occidat, quia ignoscitur ei, dicendum est, non tantum mariti, sed etiam uxoris seruos liberandos, si iustum dolorem exequenti domino non restiterunt. Paullo tamen aliter **PAPINIANVS** in l. 22. §. 4. D. ad L. Iul. de adulter. Ideo autem patri, non marito mulierem et omnem adulterum remissum est occidere, quod plerunque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit: caeterum mariti calor et impetus facile decer-
nentis fuit refrenandus. Itane duumiri illi in re notissima a se inui-
cim dissentiant? Nequaquam. **PAPINIANVS** enim scribit, marito
haud permissum esse, vxorem in adulterio deprehensam occidere;
VLPIANVS contra ait, marito, si id fecerit iustumque dolorem ex-
A 3 cutus



cutus sit, ignosci. Caede scilicet adulterarum, iure antiquo a) maritis permisso, *Lege Iulia de adulst.* ipsis interdictum fuit, ita tamen, vt, si quis contra fecerit, vxoremque in adulterio deprehensam occiderit, non Legis Corneliae, sed extraordinaria tantum teneatur poena, humilioresque exilio perpetuo, honestiores contra relegatione temporaria coerceantur. *I. I. §. 5. D. ad L. Corn. de sic. l. 38. §. 8. D. ad L. Iul. de adulst.* atque ita intelligendum, quod in l. 3. *D. de Sēto Silan.* legitur. Conf. *IO. GVIL. HOFFMANNI Lib. sing. ad L. Iul. de adulst. coercend.* p. 7. et III.

Quoquo modo autem sese illud habet, **ADORELIA** vxorem in adulterio haud deprehenderat, sed, vt in Decretali **ALEXANDRI** III. legitur, eam tantummodo suspectam habebat. Suspiciones autem ad vxorem quidem repudiandam b), nequaquam autem ad eandem occidendum sufficere poterant. Atenim **ADORELIA** irae vnicē indulgens vxorem fratri suo nonnullisque militibus eo tradit animo, vt in loco aliquo remoto ultimum de ea sumerent supplicium. Hi quidem tam duram in se suscipiunt prouinciam, **MARIAMQUE** (ita enim vocabatur) in silvam aliquam, vt eam ibi occiderent, deducunt. Strictus iam erat gladius, nihilque, nisi ielus letiferus, restabat. Sed ecce! ad pedes adfinitis **MARIA** se proiicit, passisque manibus supplex vitam beneficij loco petit. Motus **ADORELIAE** frater pietate atque misericordia tam erga supplicem, manibus temperat, eique hac lege atque conditione, vt sumto velo vitam in monasterio aliquo finiat, supplicii gratiam facit. Quo cognito furere **ADORELIA**, molestissimeque ferre, iussui

a) Ad ius antiquum etiam pertinet, quod ex M. CATONIS Or. de doce refert **GELLIVS N. A. X. 23.** In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impune necares: illa te, si adulterares, digito non auderes contingere; neque ius est, et quod legitur apud **PLAUTVM** in *Merc.* IV. 6. 5.

*Ecastor lege dura viuunt mulieres,
Mulroque iniiquiore miserae, quam viri, rel.*

b) Ita propter solas suspiciones **CAESAR** quondam repudiauit **POMPEIAM**, teste **SVETONIO** in *Caes.* c. 74.

iussui suo haud sati factum fuisse. Tandem, postquam ad se rediit, mensque ab ira paululum refedit, ipse duos ad coenobium, ubi MARIA degebat, deducit Episcopos, qui, factis pro more votis, velum ei imponerent. Atenim nec hi ADORELIAE voluntati omnino paruerunt eamque ira, ut prae scriptum erat, exsecuti sunt. Cum enim, rem ipsam ignorantes, MARIAM adhuc esse iuuenem, filiumque habere parvulum, animum aduertissent, tam subita autem vitae mutatio ipsi suspecta esset, MARIAM feorsum examinarunt, ab eaque rem oranem, vti gesta erat, rescuerunt. Nec temperare sibi poterat MARIA, postquam omnia ordine narrauerat, quin adderet, se nequaquam ex animi sui sententia, sed solo mortis metu monasterium intrasse, et quamcunque occasionem, illud rursum relinquendi seque in libertatem vindicandi, arrepturam esse. Episcopis vitae MARIAE timentibus et, quae ex ea audierant, enuntiare nolentibus, alter eorum, quo ADORELIAE tyrannidi satisfacere videbatur, dicens causa MARIAE velum imponit, seu, quemadmodum in Decretali ALEXANDRI III. dicitur, velum ei imponere simulat. Interiecit aliquo tempore MARIAE lætior adfulgere lux, meliorque fortuna eam expectare videbatur. ADORELIA enim eiusque fratre de medio sublatis, MARIA, temporis vtens opportunitate, triste illud, quod adhuc habuerat, domicilium celestine relinquuit, cumque graue castitatis onus ferre diutius haud posset, ad nouas cum viro quodam nobili, p. scilicet DE CAMBERIIS, nuptias contrahendas prouolat. Huius in sinu atque amplexibus contrae fortunae iniurias satis se tutam fore laetioresque in posterum dies visuram esse sperabat. At nondum aduersa contra eam defacuerat fortuna, sed nouos potius ihsus ei parabat. Iam enim (quis crederet?) illae ipsae, quas in monasterio socias habuerat, feminæ, moniales vulgo vocant, aequo animo quae ferre haud poterant, MARIA nouo cum marito uno cubante in lecto, sibi solis dormiendum esse, durissimoque castitatis voto se premi, magnos mouent clamores, remque ad Episcopum deferentes acriter instant, ut ne MARIA suam e monasterio fugam impune ferret, sed vt inde quantocuyus retraheretur, coenobioque rursum manciparetur. Quid multa? Episcopus, rei ignarus, cum MARIA fui copiam non faceret, sed apud nouum maritum delitesceret, vt clamoribus virginum illarum deuotarum aliquatenus satisfaceret, ambo, et MARIAM eteius maritum, excommunicat, praeterea que omnes huius

huius terras, quasi ipsae tanti criminis participes essent, sacris interdic-
it c), eamque sententiam Archiepiscopus Tarragonensis, ad quem
causa postmodo fuerat delata, confirmat. Rebus ita comparatis nihil
iam nouis, in quos hoc fulmen maxime saeuebat, restabat coniugibus,
nisi ut rem ad ALEXANDRVM III. P. M. deferrent, ab eoque aequio-
rem peterent sententiam. Quid autem faceret in causa tam intricata
Pontifex? Vna ex parte instabant virgines illae vestales, quae laetiores
MARIAE inuidebant dies, maximosque ideo ciebant clamores. Intel-
ligebat praeterea ALEXANDER, et si Episcopus, de quo supra diximus,
velum MARIAE ad speciem tantum imposuerat, nequaquam tamen in
re tam seria ludos decere et iocos, nec illam veli impositionem iusta
ratione pro nulla haberi posse. Quo enim res rediret, si in eiusmodi
actibus sacris ludere fucumque vniuerso monialium coetui facere lice-
ret Episcopis? Certe pessimi haec res foret exempli. Idcirco Pontifex
impositionem veli ideo, quod dicunt tantum causa facta esse dicebatur, ne-
quaquam pro inani declarare, MARIAMQUE illico ab omni persecutio-
nem reddere poterat. Altera ex parte haec ipsa, reliquo coenobio;
nouo iam nuperat marito, fortasse etiam ex eo iam grauida facta erat,
maximaque fuisset durities, si Pontifex tam bene concordans matri-
monium rursus dissoluere, MARIAMQUE, fortasse iam intumescentem,
monasterio denuo mancipare voluisse d). Debebatne praeterea in-
dulgere

c) Vides hic non modo *excommunicacionem*, sed *interdictum* etiam, vt vocant,
locale, i. e. censuram, qua ob contumaciam vel delictum in ecclesia com-
munitum toti ciuitati atque ecclesiae sacrificium inducitur. Conf. *Tz. X.*
de sentent. excommunicar. (*Lib. V. tit. 39.*) Excommunicatus non modo
communione ecclesiastica iuribusque inde dependentibus excludebatur,
sed ab omnibus etiam vitandus erat, vt docet vericulus:

*Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Or, orare, vale, communio, mensa negatur.*

Qui annum integrum in excommunicatione transegerat, nec absolu-
tionem impetraverat, *inforderescere* dicebatur, ceu docent interpres ad *X.*
cit. tit.

d) Quam truculenter interdum contra eos, qui e monasterio profugerant,
saeui-

dulgere monialium inuidiae, quae vnica omnis huius tumultus causa ac ratio erat? Quid quaeſo virginum illarum vestalium intererat, MARIAM cum viro cubare, cuius ipſae participes fieri haud poterant?

Hic iam admirari licet singularem ALEXANDRI sapientiam, qua, ponderatis vtrinque rationibus, nodum hunc Gordium sine cuiusquam offensa aut iniuria dissoluit. Sed malo vos L. B. hoc ipsius potius, quam meis ex verbis cognoscere. Dabo autem primo Decretalem ALEXANDRI III. Epistolam, vt in cap. I. X. de his, quae vi metusque causa fiunt, legitur.

Perlatum eſt ad audiētiā nostrām, quod, cum quidam nobilis et potens M. uxorem suam ſuſpēctām habēret, milites ſui, eius praecēpto, eam ad quādām ſluām ducentes, euaginato gladio occidere voluerunt, ſed tandem pietate diuīi ſub tali conditione pepercerunt eidem, quod in monaſterio de Colobris habitum fuſciperet monachalem. Episcopi vero mihi a viro, vt ei velum imponerent, quia iuuenis erat et filium paruulum habebat, mutationem vitas ſuas ſuſpēctām habentes, ſeorsim conuenerunt eandem; quae rem patefaciens, quod mortis timore monaſterium intrabat, proponuit, et quod inde, quādōcunq; poſſet, exiret. Sed alter Epifcoporum, vt viri tyraṇnidī ſatisfacere videretur, mulieri velum imponere ſimulauit. Tandem viro de medio ſublato praediſta mulier de monaſterio exiētiā alium maritum accepit: quos Galaguritanensis Episcopus ad inſtantiam ſororum vinculo excommunicationis adſtrinxit; ideoque mandamus, quatenus praediſtam mulierem et virum, recepto ſacramento, quod veſtro debeant ſtare mandato, ab excommunicationis vinculo abſoluatis, deinde tam mulierem, quam prioriſtam et moniales praefcripti monaſterii ante veſtrām praefentiam conuocantes, ſi legitime probatum fuerit, non timore mortis praediſtam mulierem religionem intraſſe, aut, quod fecit, poſtmodum ratum habuiffe, ipsam ad monaſterium redire et habitum depoſitum reaſſumere, cenzura ecclieſiaſtica compellatis.

Quod

faenitum fuerit, docent vel exempla, quae narrat D'ARNAUD in libr. De laſſemēti inscripto, P. VII. no. 7. et 8.

B

Quod saepissime fecit RAYMUNDVS DE PENNA FORTI in colligendis Decretalibus Pontificum Romanorum Epistolis, ut, veluti alter TRIBONIANVS, verba Pontificum nobis haud daret genuina, sed mutando, truncando, inserendo, et quae alia eius flagitia sunt, depravata nobis propinaret merces e), idem hic quoque ab eo factum esse videmus. Multo enim integrior Decretalis haccce exstat Epistola in Collectione Decretalium antiqua, quam tribus cum aliis CAR. LAB-BAEVS edidit f). En igitur ipsa, quibus ALEXANDER vslus est, verba, nisi quatenus librariorum fortasse culpa nonnihil vitii ipsiis inhaeret.

Relatum est ad audientiam nostram, quod, cum quidam vir nobilis, prudens et potens A. nomine, M. mulierem de Oreia quondam, uxorem suam suspectam haberet, fratri et militibus suis g) praecipit, ut eam longe ad priuata loca deducerent et gladio occiderent; qui cum ipsis h) ad quondam filiam duxissent, et euaginato gladio eam occidere vellent, eadem ad pedes cognati cecidit et, ut sibi vitam seruaret, lacrimosa supplicatione rogauit. Cognatus i) vero misericordia et pietate dubius ei sub tali conditione

e) Vid. Perill. IO. CHR. GVIL. DE STECK Comment. de interpolationibus Raymundi de Penna Forti, Lips. 1754.

f) Vid. Antiquas Collectiones Decretalium cum ANT. AVGUSTINT ET IAC. CVIACII notis et emendationibus, Parisis 1609. Collect. I. p. 26.

g) Verbum miles medio aeno plerunque significabat vasallum, equitem, (einen Ritter,) ut praeter alias docet v. E. CHRISTIANI in d. Gesch. d. Herzogth. Schleswig und Holstein, P. II. p. 163. eodemque significatu fortasse hic etiam accipendum est.

h) Lege ipsam.

i) Nemo non videt, cognatum hic possum effe pro adfne seu fratre mariti, quo sensu hoc verbum apud scriptores veteres haud legitur. Occurrat autem apud scriptores cadentis latinitatis, (vid. CANGUS in Glossar. s. v. cognatus,) itemque pro viro sororis in Inscriptionibus, ut notatum legi in BAS. FABRI Thes. T. I. p. 1706. edit. nouiss. quae cura I. H. LEICHTI Lips. 1749. prodit.

ditione pepercit, quod in monasterio de Colobres k) habitum monasticum deberet sibi scipere. Quo auditio maritus eius, quia reseruata erat ad vitam, graue plurimum tulit; sed tamen postmodum acquieuit, sive factum est, quod duos Episcopos Caesaraugustan. l) et Trifasconen. m) ut eam benedicerent, et ei velum imponerent, ad monasterium ipsum adduxit. Episcopi vero rem ignorantes et, quia iuuenis erat et filium habebat parvulum, mutationem vitae suae suspicuntur habentes, eam seorsum conuenientur, quae utique ipsius rem per ordinem patescens, quod mortis timore, et non bono animo monasterium intrabat, proposuit, et quod, quandcumque posset, inde exiret, nihilominus adiecit. Tunc Episcopis de morte ipsius timentibus, et, quod ab ea audierant, propalare nolentibus, alter eorum Tyrason. 5. ut viri illius tyramidi satisfacere videretur, mulieri velum imponere simulauit. Tandem autem, viro et fratre de medio sublati, praedicta mulier de monasterio exiuit et cvidam nobili, P. videlicet de Camberiis, nupst. Sorores autem cum reclamarent, et Episcopo Cagliuritan. conquesetae fuissent, et Episcopus non posset eam videre, nec super his conuenire, ad instantiam sororum eam et virum, quem accepserat, excommunicauit, et totam terram eius interdixit, ignorans, quo modo res processisset, quam utique sententiam ven. F. noster Tarraconen. Archiepiscopus postmodum confirmauit. Nos igitur, de honestate et prudentia vestre confidentes, causam ipsam experientiae vestrae duximus committendam et sine canonico terminandam. Ideoque dis. u. per A. S. prae. m. qua. praedictam mulierem et virum, recepto iuramento, quod vestro debent flare mandato, ab excommunicatione vinculo absoluatis; deinde tam mulierem, quam Priorissam et moniales praescripti monasterii ante vestram praesentiam conuocantes, causam diligentissime audiatis et sine canonico terminetis. Quodsi legitime probatum fuerit, non timore mortis praedictam M. religionem intrasse, aut, quod fecit, ratum poslea habuisset, ipsam ad monasterium redire et habitum depositum resumere, censura ecclesiastica compellatis.

B 2

Datum

k) Loco de Colobres ANT. AVGUSTINVS legendum censem de Tolabres.

l) Caesaraugusta f. Augusta Caesarea hodie dicitur Saragossa.

m) Lege Tyrasonem.



Datum autem est hocce rescriptum ad *Episcopum Oscensem n)*
 et *Priorem Sandae Mariae Caesaraug.* quorum fidei **ALEXANDER III.**
 hanc caufam committit, ita tamen, ut modum simul ea in re seruan-
 dum ipsis praescriberet. Iubentur scilicet 1) *p. de CAMBERIIS* eius-
 que vxorem, si antea iureiurando promiserint, se iudicium mandato
 staturos eisque obsequium praestaturos esse, sacerorum interdictione
 rursus soluere, 2) *MARIAM* eiusque aduersarias, Priorissim puta et
 moniales memorati coenobii, ad se vocare, caufamque auditis parti-
 bus diligenter examinare, tandem 3) ita eam componere, ut Prioris-
 sae et monialium postulatio tunc demum admittatur, si probare velint
 ac possint, *MARIAM* nequaquam mortis timore, sed ex animi sui senti-
 entia, religioni se addixisse, aut, quod antea coacta fecerit, postea,
 periculo liberatam, ratum habuisse; quod si fuerit probatum, 4) *MA-
 RIAM*, ut in monasterium redeat, velumque depositum recipiat, com-
 pellere. Optima merito haec Pontifici item istam componendi via
 est ratio, vtpote qui ex narratione facti facile poterat iudicare, aetrices
 id, quod ipsis iniungeretur, numquam probaturas esse. Etenim vita
MARIAE hac ipsa lege atque conditione, ut monasterium aliquod in-
 gredetur velumque susciperet, donata fuerat, idemque ipsa coram
 Episcopis adseuerauerat. Hac igitur ratione et monialium clamori-
 bus satisfiebat, et *MARIAE* saluti prospiciebatur; itaque magnarum
 initia rerum facilem aequem ac felicem exitum habuerunt. Attigit hanc
 quaestionem, paucis etsi verbis, etiam *IAN. A COSTA* in *Commentar.*
in Decretales Gregorii IX. p. 255. sed, ut verum fatetur, haud omnino
 eius adstipulari possum sententiae. Sribit scilicet: *Fuit igitur simu-
 lata impositio veli, quae non videtur legitima, ut de simulatis nuptiis Itus
 ait in L. 30. D. de R. N. ideoque marito mortuo mulier de monasterio
 exiens alium maritum accepit.* Iam quaero, si veli impositio non fuit
 legi-

n) *Oscenses et Calagurritani*, Hispaniae populi, iam apud *CAESAREM de B.*
C. Lib. I. cap. 60. occurunt: *Interim Oscenses et Calagurritani, qui erant
 cum Oscensibus contributi, mittunt ad eum legatos, seque imperata facturos
 pollicentur.* — Contributi hic sunt, qui in diueris oppidis aut urbibus
 degentes vnam constituant ciuitatem; quo sensu hoc verbum etiam ap.
LIVIVM ET PLINIVM mai. legitur.

legitima, sed nulla atque inanis, MARIAQUE eam ob causam monasterio reliquo alii nubere potuit marito, quo quaeſo probatio, MARIAM velum mortis timore haud ſufcepiffe? Sane contra impositionem veli per ſe nullam nec allegatione exceptionis vis et metus opus eſt, nec contrarii probatio admittitur. Nec huc quadrat I. 30. D. de R. N. vbi CAIVS: *Simulatae nuptiae nullius momenti ſunt.* Nuptiis simulatis opponuntur verae apud TERENTIUM in *Andr.* III. 1. Ecquis autem a nuptiis, quas apud Romanos vel folus conſenſus faciebat, (I. 30. D. de R. I.) ad aetum ſacrum, qualis eſt veli impositio, argumentum ducre audeat? Ego certe haud fecerim.

Sed nec in eo ſubſcribere IAN. A COSTA poſſum, quod ait, Pontificem ita reſcripſiſſe arg. I. 2. et 3. C. de his, quae vi metuue cauſa geſta ſunt. Quodſi quis enim has leges euoluerit, parum ſane ſimiilitudinis eas cum hac ſpecie habere perſpiciet. Meliore fortaffe iure huic traxiſſet I. 4. C. eod. vbi GORDIANVS: *Si per vim vel metum mortis aut cruciatus corporis venditio a vobis extorta eſt, et non poſtea eam conſenſu corroboratiſſ, rel.* Sed haud video, quare Pontifex non iipſum edictum praetorium: *Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo,* (de quo in Pand. Lib. IV. Tit. 2. exponitur) ante oculos habere potuerit. Nullus enim metus iuſtior eſt, quam metus mortis, quo per-tinent I. 3. 7. et 8. D. h. t. Sane, vt IOBVS II. 4. ait, *quidquid habet homo, dat pro ſua vita.* Hanc optant viri atque mulieres, pauper et diues, ſenex aequē ac iuuenis, doctus atque indoctus, et vel ipſe philoſophus, quamvis praeclara multa de contemtu mortis diſſerens, idque

*Omnibus in terris, quae ſunt a Gadibus uſque
Auroram et Gangem. — —*

Nunc autem indicenda sunt sollemnia inauguralia

CANDIDATI DOCTISSIMI

CAROLI FRIDERICI CVRTII

E IPSIENSIS

qui sua de vita, laudabiliter adhuc acta, ipse his verbis exposuit:

Natus sum Lippiae anno huius seculi sexagesimo quarto, patre **CHRISTIANO FRIDERICO**, caesarum quondam patrono, quem infantiae annos nondum egresso praematura mors mihi abstulit, et matre **CHRISTIANA FRIDERICA**, ex gente **HILSCHERIA**. Prima quidem litterarum rudimenta domesticae praceptorum quorundam institutione debeo, sed ab ineunte anno **LXXVI.** publica etiam scholae Nicolaitanae disciplina usus sum, ubi **MARTINII** et **FORBIGERI** in me merita magnificatio. Elapso autem triennio, et quod excurrit, in illustrem scholam Portensem me contuli, ubi **GEISLERO**, tum **Rektori**, nunc vero Serenissimo Duci Saxonie Gothano ab aulae consiliis, plurima debeo. Vnde post quadriennium reuersus ao. **LXXXII.** a **Generes.** et **S. R. DE WINCKLER**, tum **Rectione Magnifice**, dissentium in hac academia numero insertus sum. Ac in rebus quidem ad philosophiam pertinentibus **SEYDLITZII**, **PLATNERI** et **WIELANDI** scholis interfui. In mathematicis **GEHLERVUM**, in physicis **KÜHNIVM** secutus sum. Rerum gestarum historias enarrarunt **BECKIVS**, **WIELANDVS** et **HILSCHERVVS**. Additenda

cendae autem legitimae scientiae haec fuit ratio, ut iuris naturae WIE-
LANDVM et SAMMETVM, iuris ciuilis et publici itidem SAMMETVM
atque BIENERVM, iuris feodalis eundem BIENERVM, iuris canonici, cri-
minalis, Germanici atque iudicarii SCHOTTVM, Saxonici vero KINDIVM,
qui nunc est Sereniss. Saxon. Electori a prouocationum consilis, doctores
legerem. Artem ex artis referendi me docuit S. R. DE WINCKLER.
Praeterea STOCKMANNI et BIENERI exercitationibus disputatoriis in-
terfui. Superato utroque examine ultimam admovit manum V. E. IO.
GEORG. LOTICHIUS, Supremae Curiae et Confistorii Lips. Aduocatus
ordinarius, quo, cui plura debeam, neminem scio. Denique praeterire
non possum, quod Exc. CHRIST. GOTTL. HAVROLD, quam ao. LXXXVI.
Diff. de legibus maiestatis, latis ante legem Iuliam, ex philosophorum ca-
thdra defenderet, respondentis partes mihi demandauerit. Nune ad alto-
ra progressurus ab Illustri ICtorum Ordine petii, ut summos in utroque
iure honores in me conferre non dedignetur.

Cui desiderio, postquam in examine, quod vocant, rigoroso
Collegii expectationi omni ex parte satisfecit, cum deesse haud potue-
rimus, vt publice etiam de eius profectibus constet, proximo die
Mercurii in auditorio Iectorum hora a meridie II. l. 4. C. de his, quae
vi metusue caus. gest. sunt, interpretabitur, mox autem a. d. xxiv.
huius mensis hora IX. eodem loco Diff. de finibus exceptionis legis Ana-
stasianae cuncte regundis sine praefide publice defendet, quo facto vir
illultris atque excellentiss. Dn. D. AVG. FRID. SIGISMUND. GREEN,
Suprem. Cur. Prouincial. et Ord. Iector. Assessor, Ampliss. Senatus Lips.
Syndicus, fautor et collega honoratissimus, cui ex eiusdam Ordinis de-
creto promotoris munus delegauit, summos in iure honores cum omni-
bus priuilegiis atque iuribus huic dignitati adnexis, sola spe ad sessio-
nem in Collegio nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet atque concedet.

Quam



Quam sollemnitatem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, COMITES ILLUSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIP. PROCERES GRAVISSIMI, CIVES denique GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE praesentia sua honorifica splendidiorem reddere velint, enixissime rogamus. Sc. Lipsiae a. d. XIX. Decembris MDCCCLXXXIX.

LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA.



Leipzig, Diss., 1789 P-Z

X 241 7829

ULB Halle
006 383 351

3





PROCANCELLARIUS
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBVRGENSIS CANONICVS

PANDECT. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR

ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

CAROLI FRIDERICI CVRTII

LIPSIENSIS

A. D. XXIV. DECEMBRIS MDCCCLXXXIX

PUBLICE CELEBRANDA

INDICIT